

DISSERTATIONIS ACADEMICÆ,
DE
PIETATE
PHILOSOPHICA,
PARS SECUNDA

Q U A M,
Consensu Amplissim. Senatus Philosoph.
In Illustri ad Auram Athenaeo,

P R A E S I D E
MAXIME REVER. atque CELEBERRIMO VIRO
MAG. WILHELMO
ROBERT. NÅAF,
Logices & Metaphysics PROFESS. Reg. & Ord.
Facult. Phil. h. t. DECANO maxime spectabili,
PROGRADU,
Ad publicum examen modeste defert
CAROL. PET. BORENIUS

V. D. M. Tavastensis

In AUDITORIO MAJORI Die VII Junii
An. MDCCLXXV.

Horis ante meridiem solitis.

A B O Æ,
Typis JOHAN. CHRISTOPH. FRENCKELL.



§. VIII.

Quanta in negotiis humanis sit pietatis Philosophicæ vis & efficacia, quantaque ex eius neglectu in Societatem Civilem redun- det clades, vel is demum facile animadvertiset, qui meminerit, sublata reverentia Numinis, tolli quoque, cum cæteris legibus divinis, totam illam quantam, in æterna Dei sanctitate & justitia fundatam, omniumque animis impressam, justi honestique regulam, quæ lex naturæ dicitur. Nihil ergo, præter naturalia actionum conjectaria mala, ad reprimendam malorum proterviam, foret residui, iisque deficientibus, tantum liceret, quantum libuerit. Utut enim leges Civiles ad retinendos in obsequio homines, Atheistico furore correptos, non nihil interdum conferre videantur, quoniam tamen interna non accedit obligatio, ex lege Naturæ pendula, non diutius in eodem manebunt, quam svaserit privata utilitas. Neque hic movemur auctoritate Bællii, qui *Continuation des Pensés divers sur les Comètes* §. 113, & alibi, in eo est occupatus, ut ostendat, in te-

integras sine religione vixisse gentes, suamque nihil fecius conservasse rempublicam. Præterquam enim, quod exempla ejusmodi gentium a multis, & quidem summo jure, in dubium vocentur; facile etiam patet, qualis foret facies reipublicæ, religione prorsus destitutæ. Imperante scilicet, nullo sacrorum respectu commotum, quid impediret, quo minus se omnibus legibus solutum existimans, cives opprimere non dubitaret? Uti enim sibi ab eorum impetu semper metueret, ita in eo suam verti salutem merito arbitraretur, ut illos quam maxime redderet enerves, Hi contra, nulla obsequii gloria, nulla religionis verecundia; ducti, quid timerent, in eum rebellando, omnes dissolvere societatis nervos? Ut nihil de eo dicamus, quod in ista republica nec inter conjuges constans amor, nec inter parentes & liberos amicitia firma, nec inter dominos denique ac servos mutua benevolentia foret speranda. Unusquisque enim ut hostis consideraretur, cui ultimo fundamento nititur illud Hobbesianum: *bellum omnium in omnes.* Unde satis patere arbitramur, quam certam Atheismus generi humano acceleret perniciem, & quam vere propterea dicatur, pietatem cultumque Numinis esse ultimum & firmissimum non modo societatis humanæ universalis, sed & rerum publicarum in ea omnium, præsidium ac robur.

§. IX.

Attamen ut pietas Philosophica nobis civiliter
A 2 prodes-

prodeisset, id vero nec primum ac potissimum, nec unicum ejus absolvit finem, a Deo sapientissime constitutum. Multo major enim & nobilior est usus ejus Pædagogicus, in eo consistens, ut nos, de insufficientia ipsius ad æternam salutem post fata nascendam convictos, ad revelationem manu quasi ducat. Alter quidem, non olim modo, sed & ceteriori ævo, visum est quam plurimis, hisque præsertim, qui homines extra ecclesiam constitutos, virtutum vero naturalium pro virili studiosos, tametsi vera in Christum fide fuerint destituti, sedibus beatis singulari Dei gratia atque misericordia receptos asseruerunt. Ut enim in præsenti non prolixius allegem sententias quorundam ecclesiæ Patrum, bene de salute Gentilium sperare jubentium, in scenam prodeat Huld: Zwinglius, qui in sua expositione fidei ad Franciscum I:um, Galliarum regem, Theseum, Socratem, Aristidem, Antigonum, Numam, Camillum, aliosque inter Gentes, virtutum laude conspicuos, cœlo dignari nullus dubitavit. Hanc vero opinionem, cum non omnibus Theologis illo tempore approbaretur, defendendam in se suscepit ejusdem fidei socius Rudolphus Gvalterus, cuius prolixa satis apologia pro Zwinglio ejusdem operibus, P. I. est præmissa. Inter Armenianos tantum non omnes hujus sententiæ patronos eminet Stephanus Curcellæus, qui non solum in libello: *Advis d'un personage desinteressé*, verum etjam Quaternione Dissertationum, doctrinam de salute mortuorum Gentium suam fecit, variisque rationibus propu.

propugnare studuit; quam tamen data opera pro more suo, id est, solide confutavit B. Musæus. Horum vestigia haud obscure presit Moyses Amyraldus, Professor in Academia Salmuriensi celeberrimus, providentiam communem afferens idoneam esse ad ingenierandam fidem de misericordia Dei, destitutam quidem vera & dilucida cognitione Redemptoris, nihil minus tamen sufficientem, ut fruantur homines ea salute, cuius auctor Deus est (*a*). Ex Romanensis huc pertinent Monachi Colonienses, auctores libri de salute Aristotelis, ut & Fortunatus Lictus, Patavinus, qui itidem summo huic sui ævi philosopho salutem post fata æternam adseruit. Nec silentio prætereamus Christophorum de Vega, Georgium de Valentia, Maldonatum, & Erasmum, quippe quos Ethnicismo pariter ac Christianismo idem fere statuisse pretium, nobis fidem facit Historia Ecclesiastica. Memoriæ quoque prodit Sleidanus, an. MDLI, Franciscanum quandam, Tridenti ferente Concilio, e suggestu publice docuisse, gentiles, cognitione Mediatoris destitutos, modo honestam vixissent vitam, salutis æternæ factos fuisse participes. Quin immo Andradius Hispanus, concilii Tridentini summus Hyperaspistes, ethnicos morationes non solum beatis cœlitibus annumeravit, sed fidem etiam & salutem æternam haberi posse ex naturali notitia & providentiæ divinæ consideratione, docuit. Hos omnes eruditione nominisque celebritate longe superat Edoartus Baro de Cherbey, Naturalistarum Angliæ facile princeps, qui du-

ra de Prædestinatione absoluta offensus opinione, quam Deo indignam, & satis tamen fundatam esse, arbitratus est, si soli Christiani fidem haberent salvificam, in lucem publicam tres emisit libros; primum de Veritate, pro ut distingvitur a *Revelatione*, a *Vero simili*, a *Possibili*, & a *Falso*; Secundum de *Causis Errorum*; Tertium de *Religione Gentilium*, *Errorumque apud eos causis*; ubi id magno egit conatu, ut ostenderet, ad salutem æternam obtinendam sola sufficere ea, quæ ex lumine Naturæ, seu principiis rationis, de Deo cognosci possunt, nec opus esse homini in alia, ad beatitudinem æternam ducentia, inquirere media, aut peculiari cuidam revelationi Divinæ inniti. Hujus lateri qui jungatur, dignissimus est Mathæus Tindalius, quippe qui ante aliquot annos scriptum edidit, cui titius: *Christianismus mundo coævus*; ubi totus etjam in ea est opinione, unicam veram, salvificam & immutabilem religionem illam esse, quam ratio doceat; adeoque non S. Sacram, sed hanc solam pro fidei & vitæ regula esse reputandam. Notissima quoque sunt nomina Tolandi, Collini, Wolstoni, Morgani, & aliorum, gloriæ sibi ducentium, Naturalismi causam agere; de quibus tamen in præsenti nihil amplius dicam, paucis quia dici nequit.

(a) Lib. de Præd. Cap. 7. confr. Fecht. de Not. Cred. p. 36.

§. X.

Ad ipsam vero rem quod attinet, tantum abest, ut

ut pietas, rationis innixa principiis, æternam cultoribus suis promittat salutem, ut summa potius, post prævaricationem primævam, indeque contraria cladem, imperfectione laborans, eos in statu miserrimo constitutos esse, haud obscure innuat. Et enim ad illimitatum Dei imperium, nostramque ab illo dependentiam condigna & venerabunda mente attentes, facile perspicimus, nos ad legem Naturæ, quæ cultum divinum tam internum, quam externum præcipit, omni solicitudine, & quidem exactissime, adimplendam esse obligatos. Quod si jam actiones nostras, cum iis, quas nobis injungit hæc lex divina, ferio & absque adulazione contendamus; certo utique certius deprehensi erimus, neminem esse mortalium, qui vel inscie, vel præcipitanter, vel deliberato denique animo, illam sæpiissime non transgressus fuerit. Hunc vero dissensum Deus, vi sanctitatis suæ, qua nihil nisi rectum approbat, ferre nequit. Si enim peccans nihil mali sentiret ex transgressione legis, tantum abest, ut a peccando deterretur, ut judicaret potius, Deum ad bonum & malum esse indifferentem, adeoque ex corruptione sua in peccatis perseveraret. Actiones igitur malæ ejusmodi constipari debuerunt consecrariis, ut ex illis summa voluntatis divinæ sanctitas, seu intensissimus, qui in Deo est, amor boni & odium mali infinitum intelligi posset. Hinc, ut constaret, Deum istiusmodi odio prosequi peccata, tantas omnino cum illis connexas voluit pœnas, quantis peccatores unquam sustinendis essent pares. At major pœna ne cogitari quidem potest, quam infi-

infinita, quæ vel intensive, vel extensive talis est. Illa involvit vehementissimum dolorem, ortum ex peccatorum, quæ unquam commissa sunt, & quæ inde proveniunt, malorum physicorum simultanea & distinctissima repræsentatione; hæc vero est sensus dolorum sine fine durans. Quamobrem, cum nemo mortalium, ob mentis finitudinem, pœnam intensive infinitam sustinere valeat; creaturam peccaminosam manebit pœna extensive talis, seu æterna. Idem pari evidenter demonstrari solet, in subsidium adhibito lemmate Morali, quod ex conditio-
ne læsi gravitas delicti æstimari debeat, ita quidem, ut quo excellentior sit, qui læditur, & quo plus juris habeat a nobis obsequium poscendi, eo major censeatur injuria, adeoque majus delictum. Hinc quippe, cum jus Dei in homines illimitatum sit, & per consequens infinitum; suapte fluit natura, injuriam, qua hoc jus violatur, esse infinitæ gravitatis. Requirit vero justitia divina vindicativa, ut peccantes debitas luant pœnas, & delicto proportionatas. Sustinebunt ergo pœnas infinite graves, & quidem sine fine duraturas.

§. XI.

Neque ex hoc reatu, seu obligatione ad æternas subeundas pœnas, ullam viam rationemque se liberandi invenire & assequi potest mens humana, cœlitus non collistrata. Nugis enim gerrisque, quod ajunt, Siculis delectantur, qui sibi aliisque fidem facere allaborant, delinquentibus, ad supplicia post

hanc vitam declinanda, Philosophicam sufficere pœnitentiam. Scilicet apud omnes in confessio est, quod legislatori pœnam debeat, quicunque legem violaverit, quantumvis doleat, esse eam a se violatam. Quavis etiam exceptione firmius manet, non posse peccata physice annihilari, cum fieri nequeat, ut id, quod factum est, simul sit infectum, nec moraliter, hoc est, considerari, tanquam facta non fuissent, nisi intercedat satisfactio. Quod si igitur pœnitentia vel unicum delictum hoc sensu infectum redderet, ejusque tolleret imputationem; inferret utique dolorem, gravitati facinoris proportione respondentem; quem tamen, ut §. præc. monimus, nemo mortalium sustinere valet. Neque melius rem suam agere videntur, qui cum Bælio hic ad bonitatem divinam provocant, ita inferentes: cum peccata Deo neque injuriam, nec damnum inferant, cumque præterea ea condonando non fibi, nec aliis injuriam faciat; curni posset ea' absolute & sine satisfactione remittere, quod apud homines fieri non semel videmus? Lubentes quippe largimur, Deo intrinsece nullum inferri posse damnum, cum id prohibeat summa ejus perfectio ac beatitudo, omnis plane periculi expers; læditur tamen extrinsece, dum honori, illi debito, aliquid detrahitur, & ipsi, quod suum est, peccando dengatur; id quod proprium læsionis est. Tantum præterea abest, ut peccata absolute & sine satisfactione remittere queat, ut hac potius ratione & sibi, & aliis, injuriam faceret: sibi, quia nollet, ut

summus honor & obsequium ipsi a rationali qua-
 libet exhiberetur creatura, adeoque justitiam pari-
 ter ac sanctitatem suam abnegaret; quod tamen
 cum majestate divina adeo adversa pugnat fronte,
 ut nihil supra: *aliis*, quoniam bonis nulla sic præ-
 malis foret prærogativa, si eorum contraria licet
 facta eundem adipiscerentur eventum. Accedit,
 quod innumera sint peccatorum consectaria in to-
 tum mundum diffusa, & tantum non omnibus in
 universum nocentia. Quo spectant verba Chryso-
 stomi: *pusilla quepiam transgressio ingens detrimen-
 tum parere solet.* (b) Ejusmodi noxas, innocentibus
 per aliorum peccata illatas, nisi Deus sapientissima
 sua directione resarciret, & peccatores puniendo,
 laesis fatisfaceret; his certe ansa subministraretur de
 perfectionibus divinis sinistre judicandi. Cavendum
 igitur quam maxime est, ne bonitatem Dei eos-
 que extendamus, ac si justitiae ejus prævalereret;
 cum id utriusque infinitudini e diametro repugnet.
 Quod denique ad jus aggratiandi attinet, quo prin-
 cipes dominique terrestres non nunquam utuntur, de
 eo præclarum est judicium Celeb. Canzii: *imbicilis-
 itatis humanae est, ut quedam crimina declinandi majoris mali
 ergo in republica sortiantur veniam, ne potentia delinquen-
 tium, peccatorum multitudo, vel scelerum inolita consuetudo,
 majores civitatis turbas exitet: non autem est, cur hæc talia
 Deus metuat. Et paucis interjectis: demittunt uti-
 que reges aliquando peccata impunita ob necessitatem
 & convenientiam reipublicæ: dic autem, quæso, casum,*
 ubi rerum convenientia Deo peccatorum impunitatem

svase-

svaserit? (c) Neque sicco pede prætereundum existimo;
quod, si vel maxime poneretur, quod tamen po-
ni nequit, Deum non aliter, ac homines, absque
satisfactione delicta condonare, nihilo fecius a par-
te nostra, si hac vellemus clementiæ ac favoris au-
ra perfrui, necessaria foret conditio, ut in poste-
rum a peccatis, divinam provocantibus iram, abs-
tineremus; quod tamen corruptæ refragatur natu-
ræ. Hactenus igitur firmum ratumque manet, ne-
minem mortalium propriis viribus debitam pro pec-
catis posse satisfactionem præstare, adeoque pieta-
tem Philosophicam non sufficere ad iram Numinis
placandam, pœnasque imminentes effugiendas.

(b) Comment. Cap. 4. ad Galat. (c) Ulus Phil. Leib.
 Wolf. in Theol. §. 262.

§. XII.

Sed nec eo usque assurgit ratio sibi relicta,
 eique innixa pietas, ut viam modumque invenire
 queat deperditæ salutis per satisfactionem vicari-
 am recuperandæ. Videt enim, vi justitiæ divinæ,
 ad negotium tanti momenti absolvendum, crima-
 que, quorum nemo mortalium est immunis, expi-
 anda, infinitam requiri satisfactionem, non nisi a
 Deo exspectandam (§. XI.) Sed num rationi, di-
 vina luce non non collustratæ, videtur probabile,
 ut idem, qui Iæsus est, & satisfactionem perfecto
 jure exigit, sibi ipsi satisfactionem præstet? Num
 a priori demonstrari potest, sanctissimum Deum si-

bi peccata hominum imputare velle, pœnasque pro il-
lis sustinere? Profecto, mentis nostræ eam depre-
hendimus esse naturam, ut ideas rerum nullas ac-
quirere sibi possit, nisi magistra experientia, vel in-
terna, vel externa, adeoque nihil concipere & in-
telligere, nisi cuius exemplum aliquando vel sensi-
bus exceperit, vel sui conscientia intueatur. Quem-
admodum igitur mysterii incarnationis nullum
in rebus finitis exemplum vel fuit unquam, vel e-
rit, vel esse etiam potest; ita tantum abest, ut vi-
res intelligendi naturales eidem cognoscendo suffi-
ciant, ut sibi potius in æternum constet effatum
illud Paulinum: ἀμολογουμένως μάγα ἵστο τὸ τῆς εὐοεῖσας
υπόγειον, Θεὸς ἐφανερώθη ἐν σκηνῇ. (a) Accedit, quod i-
dem cœleste depositum, Sacram loquor Scripturam,
redemptionem generis humani, ceu stupendum, nec
devota grataque mente satis collaudandum, gratiæ
ac misericordiæ divinæ documentum, nobis deli-
neet. Unde tuto inferre licet: quicquid ex mera
gratia atque misericordia divina proficiscitur, id u-
tique liberrimæ est dispensationis, nec tanquam fa-
ctum ex aliqua necessitatis lege resultans, per ra-
tiocinia, a priori deducta, evinci potest; quia sic
omnis benignitatis, gratiæ ac misericordiæ periret
ratio. Ergo. Neque hic movemur auctoritate Car-
povii, qui Præcog. Theol. Rev. §. 15. ita ratioci-
natur: *Pro justitia infinita Deus voluit pœnam homi-
num peccatorum æternam* (§. 10. & El Theol. Nat.
§. 1380), per quam miserrimi fuissent facti (§. 12.)
sed quia etiam bonitate, gratia & misericordia (quæ
in

in misero exercita bonitas est) infinita pollet (El. Theol. Nat. §. 551. 155. 596.), Hoc respectu etiam salutem eorum perpetuam voluit. Et quid ni vellet? Homines enim, licet peccatores facti, manent tamen creature Dei, ad quas, ut tales, amor Dei universalis non potest non se extendere (El. Theol. Nat. §. 600.) Quia igitur collisio excercitii duorum attributorum infinitorum, quorum neutri tamen Deus renunciare potest, oriebatur, dignum Deo opus erat, ut pro sapientia infinita medium, ad hominem ex reatu, salva justitia sua, eripiendum, inveniret. Bella argumentatio! quæ, si firmis niteretur principiis, plus inferret, quam ipse vellet ejus auctor, Deo nempe dignum fuisse opus, ut pro sapientia infinita medium ad lapsos angelos ex reatu, salva justitia sua, eripiendos inventiret. Sane, aut ego vehementer fallor, aut si rem acu tangere voluerit, ita potius calculos subdueere debuit: non Deus, sed homo, est auctor præsentis suæ miserrimæ, nec satis deplorandæ conditionis; ergo Deus, salvis perfectionibus suis, in eadem absque ulla spe salutis illum relinquere potuit. Sed fingit, nescio quam collisionem attributorum divinorum; cum tamen sibi in memoriam revocare debuisset, attributa divina esse harmonica, omnemque excludere imperfectionem, unde collisio subnasci posset. Nec plus roboris alteri, quo l. c. § 28. Schol. 2. pugnat, argumento inesse videtur: *Quicquid, inquit, est bonum hominum accidentale, ad optimum systema mundanum pertinens, quod tamen via naturali asequi nequeunt, illud dat Deus per miracu-*

lum. Sed vicarius hominum est hominibus tale bonum.
 E. Hoc quippe ratiocinium omnem suam vim ac ro-
 bur ab hypothesi de mundo unice optimo arcessit;
 quæ tamen nullo idoneo hactenus argumento est
 evicta, atque inter multa alia, etjam his laborat
 incommodis, quod illa stante, impossibile esset, ut
 Christus non incarnandus, inque hunc mundum
 non venturus esset, & per consequens homines ne-
 cessario laberentur, atque Deus malum morale, si
 non ut medium, saltem ut conditionem sine qua
 non mundi optimi, vellet omnino & adprobaret;
 quorum singula quam sint absconsa, ne dicam im-
 pia, nemo non intelligit. Quid, quod vir cætero-
 quin acutissimus proprio se jugulat gladio, dum
 existentiam mediatoris a priori evincere allaborat,
 & nihilo secius fateri cogitur, miraculo opus esse,
 ut homo per sponsorem vicarium e suis eripiatur
 miseriis. Certe, naturali modo quicquid fieri ne-
 quit, ad illud cognoscendum tantum abest, ut ratio
 sibi relicta sufficiat, ut divina potius cœlitusque
 tradita requiratur revelatio. Neque reticendum exi-
 stimo, virum Celeberrimum recte quidem, & S.
 Sacræ convenienter, afferere, incarnationem Filii
 Dei, ceu medium reconciliationis hominum cum
 Deo, inter mysteria fidei esse reponendam (*b*);
 hanc vero assertionem facto esse contrariam, cum
 se ineffabile hoc mysterium suis in Philosophia prin-
 cipiis conformiter delucidare posse, glorietur; quod
 si fieret, parum vel nihil prorsus arcani in myste-
 rio restaret, atque hoc ipsum longe aliud quid,
 quam

quam mysterium dici deberet. Sicubi alias, hic certe manifesto se prodit utriusque luminis confusio, quam ipse Philosophus, si principiis domesticis sibique probatis contradicere nolit, non potest non reprehendere & castigare. Docet quippe Philosophia alumnos suos, in rebus, ubi cognoscendi principia, quæ sufficiant, desunt, suspendendum esse judicium, neque temere de iis, quæ imcomprehensibilia sunt, & rationis sphæram transcendunt, disputandum. Præclare hanc in rem Leibnitius: mysteria, inquit, explicari possunt, quantum ad credenda ea satis est, at comprehendendi non possunt, nec intelligi quo pacto existant. Sic in Physica quoque usque ad certos quosdam cancelllos complures qualitates sensibiles, imperfecte quidem, explicamus, sed eas minime comprehendimus. Neque vero Mysteria probare ratione possumus; quicquid enim *a priori*, sive ratione pura, probari potest, potest & comprehendendi. (c)

(a) I. Timothei 3. v. 16.) (b) §. 38. coll. cum. §.
42. & 430. Schol. I.) (c) Tract. de Conf. Rat.
& fidei §. 5.)

S. D. G.

